

25  
D. O. D.

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ

DE

*Moralitate Respectus Personarum,*

PARTEM PRIOREM,

*Conf. Ampl. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi*

Præfide

*Mag. JOHANNES BILMARK,*

HISTOR. AC PHILOS. FRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

*Publico examini subjicit*

*CAROLUS JOHANNES GREVILLIUS,*

*Nylandus.*

IN AUDITORIO MAJORI DIE VII JUNII  
ANNI MDCCXCVII.

Horis ante meridiem consuetis.

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

*Krigs - Commisfarien*

VÄLÄDLE

*Herr GEORG JOHAN COLLIN,*

Min högtärade Morbror,

Åt tankan af de många välgärningar jag ofta af Min Herr Morbror fått emottaga, förbinder mig med upriktigaste förnöjelse iakttaga detta tilfälle, att offentligen betyga min ödmjuka och lifliga erkänsla, med försäkran, att jag städse skall förvara hugkomsten af min Herr Morbrors mig bevista godhet uti det tacksammaste minne.

Mätte min Herr Morbrors ynnest för mig blifua lika beständig som min vördnad, och Dets lesnad så säll, som Min Herr Morbrors ömma och välgörande tankefätt förtjenar! uti hvilken upriktiga önskan jag framhårdar at vara

Min högtärade Herr Morbrors

Ödmjuka tjenare  
CARL JOHAN GREVILLIUS.



## PRÆFATIO.

Quamvis Deus O. M. eisdem nominatim facultatibus ac dotibus animam & corpus hominis instruxerit; quotidiana tamen nos docet experientia, maximam in singulis hisce tam intuitu earum qualitatis, quam pro varia earum inter se combinatione, esse disparitatem; qua fit, ut sicut nemo mortalium existit, numeris omnibus perfectus; ita vicissim nulli se injustam adeo novercam præbuit Natura, quin aliqua ex parte, nisi forte in statu præternaturali, valeat. *Inter cætera igitur, propter quæ mirabile Divini Artificis ingenium est, hoc quoque, ex judicio SENEÆ (a) referendum est, quod in tanta copia rerum (addere quoque licet hominum) nunquam in idem incidit; quum etiam, quæ similia videntur, cum contuleris, diversa sint.* Ad hanc varietatem animum, uti par est, advertens, non potest non admirari summam hanc Numinis cum potentiam, in diversitate

A

ista

luculentissime manifestatam, tum bonitatem, qua genus humanum amplectitur, etiam in eo conspicuam, quod homines ita ad socialitatem colendam, suamque felicitatem hoc modo promovendam reddantur aptissimi, collisionesque evitentur, in omnimoda appetituum & aversionum paritate frequenter existuræ. Quum enim nemo sit, qui in omnibus sibi soli sufficiat, sed aliorum subsidio tam in necessitatibus suis sublevandis, quam in commodis tuendis ac prorogandis sæpe indigeat, horum quoque respectum habebit, considerandumque cum quid ipsis, habita circumstantiarum ratione, ex æquo debeat, tum quid ab eis vicissim alio tempore expectare possit. Imo licet futuros rerum eventus nobis quidem proponere, non tamen perspicere valeamus; juvabit tamen aliquid boni præstitisse, cujus memoria animum præstantis, etiamsi spes fructus & præmii sit vel nulla vel obscura, subinde pascet. Hinc enata nobis occasio de moralitate *Respectus Personarum* nonnullas in hac disertatione proferendi animadversiones; sperantes, Benevolum Lectorem, cui respectum in argumentis nostris proponendis debemus, nostrarum quoque virium aliquem habiturum respectum, earumque tenuitatis mitiorem censorem acturum.

(a) Vid. *Epistol. CXIII. p. m. 847.*

§. I.

Vocabulum *respectus* varias in scriptis Aucto-  
rum Latinorum sustinere significationes, qui Musas  
vel a limine salutavit, fugere potest neminem; hoc  
autem loco eodem indigitatum volumus discrimen,  
quod homines externis signis alicui faciunt, hunc  
aliis vel præferendo, vel ad hujus favorem sibi aut  
comparandum, aut jam comparatum conservandum  
actiones suas libenter componendo, vel saltem pe-  
culiarem benevolentiam data occasione ei testifican-  
do. Qualem respectum Galli sua lingua communiter  
exprimunt per *Egard*, eum ita describentes: *J'en-  
tends par égards, des ménagemens & des considérations  
fondées sur les circonstances, ou sur la génie, ou la qua-  
lité des personnes* (a). *Persona* vero, ut verba Cel.  
HEINECCH nostri faciamus, est *homo cum statu quo-  
dam consideratus*; *Status* autem, eodem definiente, est  
*qualitas, cujus ratione homines diverso jure utuntur* (b).  
*Respectus* igitur *Personarum* se exferit partim indul-  
gentia & facilitate, partim honoris quadam testifi-  
catione erga alios, in certo statu degentes, ad quos  
peculiaris est nostri relatio. Notandum porro erit,  
homines etiam absque præviis pactis varias sustine-  
re considerationes, respectumque proinde personarum  
varie se habere pro ratione status sive naturalis sive  
civilis, nec non ætatis, sexus, dignitatis, aliorumque  
momentorum, a nobis in sequentibus seorsim exa-

minandorum. *Respectum* appellamus *Naturalem* illam distinctionem, quam quis intuitu vel certæ conditionis vel eximiorum meritorum ab aliis spontanea horum declaratione absque legis præcepto obtinet. Pertinet huc exemplum *THEMISTOCLIS*, qui dum post illustre ad Salaminam prælium & a Persis reportatam victoriam in scenam prodiisset, vidit omnium spectatorum oculos in se unum conversos, atque ita respectum obtinuit naturalem, tacitum quidem, sed ex sua æstimatione omnibus elogiis præstantiorem. *Respectus* autem *civilis* definiri potest & solet, quod sit comparatio qualitatum hominis cum negotio, quod dijudicandum est, ideo instituta, ut in iustitia de illo administranda, ob qualitatem illam alterum alteri præferamus. De utroque hoc respectu speciatim mox differemus.

(a) Vid, Librum, qui inscribitur: *Les Mœurs p. m. 362.*

(b) Vid, *Elementa Juris Civilis, Tit. III. §. 75 & 76.*

## §. II.

Sicut homines sive Physice sive moraliter, intuitu videlicet Legis Naturalis, considerentur, sunt quam proxime æquales; nam si quis in uno alterove momento aliis præstet, alii vicissim alia obtinuerunt naturæ dona, illius prærogativis æquiparanda; ita in statu naturali, æquali fruuntur jure:  
unde

unde tamen non sequitur, respectum personarum ex illo statu esse plane proscripsum. Quisque enim pro ea, qua forte prævalet, qualitate peculiarem aliorum sibi plerumque conciliat attentionem atque distinctionem, & quidem antecedenter tam ad pacta, quam ad socialitatem; docente experientia, cives diversarum Nationum sibi respectum memoratum certis in casibus haud invitos exhibere. Quocirca haud erit reticendum, fundamentum respectus, de quo agimus, esse tenerum illum amorem, quo nos ipsos amplectimur, in nostri conservationem ac perfectionem originaliter tendentem; quapropter si quemquam videmus, eximiis dotibus instructum, nec ulli parcentem operæ, ut eas magis magisque excolat; spem nobis formamus, illum, si modo eum, quo par est, studio nobis devincimus, ad nostram quoque felicitatem symbolam collaturum; quamobrem illum præ cæteris distinguere, respectumque illi habere, seposita quasi aliquantisper æqualitate naturali, incipimus. Imo qui virtutis tenorem jugiter servat, & nullis vel præmiis vel infortuniorum minis ab officio sibi injuncto & præsertim a studio aliis benefaciendi, quod sibi proposuit, se dimoveri patitur, respectu hoc vivus ita fruitur, ut eum etiam post fata comitetur. Valet igitur heic, quod Auctor quidam egregie observat: *Pour l'homme vertueux, ce sont les bonnes mœurs, qui font ses titres; titres solides, auxquels l'adversité loin de l'en dépouiller, ajoute un*

*nouvel éclat. Le Ministre Assyrien, ennemi de la Nation Juive, perd l'honneur avec la vie. Mais j'estime Fouquet dans sa disgrâce, & je révère Saint Louis dans les fers (a). Contra ea qui vitiis indulget, atque in his suas invenit delicias, sicut nullam aliorum habet rationem, ita nec horum experitur respectum.*

(a) Vide libri, modo citati, *Les Mœurs, Discours Préliminaire p. m. XV.*

### §. III.

Ex hoc personarum respectu, cujus fundamentum explicuimus, sequitur, eundem non modo ad aliorum qualitates, sed eorum etiam, nullo licet particulari juris aut obligationis vinculo nobiscum junctorum, se extendere conditionem, adeo ut nihil vel agamus vel præ nobis feramus, quod ægritudinem illis parere possit; semper memores, levitatem animi, esse officiorum præstationi adversam. Minime igitur par est, propter obtentum quoddam munus in sinu gaudenti, subtristem, quamvis sua præ dolore coquant præcordia, vultum monstrare, quem alter præsumeret vel invidiæ vel indignationis haud obscurum indicem. Similiter dicto respectui adversatur, se alteri ab adversa fortuna offenso vel hilarem, quod inhumanum foret, vel indifferentem exhibere; illo postulante, ut potius aliquod conditionis suæ alle-

va-



vamentum, si minus re aut opibus, attamen locis adfectibus & idoneis consiliis ei subministremus; animo nostro obversante, quod eecinit DIDO: *Non ignara mali, miseris succurrere disco* (a). Imprimis vero respectus personarum cordato cuiusvis injungit, ne cuiuspiam temere & natura negotii, de quo agitur non exigente, morose contradicat, quum nemo forte nesciat, continuis contradictionibus, ad mala moralia utique graviora referendis, aliorum animos valde exulcerari, atque propter turbatam animi tranquillitatem frigus ipsi amicitiae induci. Ex quibus consequitur, dictum respectum non mediocrem postulare & sui & aliorum cognitionem, nobis consentiente Auctore antea citato ita scribente: *Il faut quelque sort d'esprit, ou du moins du jugement, pour être capable d'égards. L'usage du monde peut rendre un homme civil; la bonté de son coeur peut le rendre complaisant; mais un sot sera toujours neuf dans la science des égards* (b).

(a) Vid. VIRGILII. *Aeneid. Libr. I. v. 634.* (b) Vid. *Les Mœurs p. m. 372.*

#### §. IV.

Statum mittimus naturalem, cujus vivam adhuc imaginem nobis sistunt membra diversarum Nationum, inter se collata, homines in statu civili confide-

sideraturi; in quo sicut plures obligationes, originaliter non tam vi quadam, quam libero consensu, invaluerunt; ita amplior simul jurium campus in illorum commodum fuit apertus. In hunc enim ordinis causa, qui negotiorum gerendorum anima merito habetur, introducta fuerunt varia munerum, sibi invicem subordinatorum, genera, nec non diversi honorum gradus; quibus ipsis respectus personarum magis fuit distinctus, quod ex æquo factum esse, quisque mox animadvertit. Quum enim ad superiora in civitate subsellia non alii admittuntur, quam qui qualitatibus naturalibus, saltem industrialibus, prævaleant, tales certe distinctionem hoc intuitu inter cæteros merentur; præsertim quum fors eorum, qui in honorum culmine sunt constituti, si propius eadem consideretur, nequaquam sit invidenda. Quam multis-ne illi, experientiam testamur, curarum & negotiorum cateruis obsidentur, aut quam multas-ne ducunt insomnes noctes, ut cives sui intemerata fruantur tranquillitate, dignissimi proinde, quibus alii ob has qualitates distinctionem, adeoque respectum, præcipuum forte laborum præmium, habeant, & quidem eo libentius, quod sciant honoris præstatione nec se deteriores, nec illos fieri feliciores. Enimvero communem, quæ ab hominibus agitur, scenam contemplantes, fateri cogimur, nec superiores omnes, nedum inferiores, tenorem æquitatis servare; sed sicut illorum non pauci cæteros, tanquam secundum

cundum hominum genus, arroganter dedignantur, ita hos vicissim illorum merita ad arbitrariam quandam exigere decempedam, pervicaciæ suæ ac respectus, illis denegati, talem interferentes causam, hunc, quantus concipi possit, Deo, Regi ac legi totum esse reservandum.

§. V.

Justitiam sic dictam particularem a Moralium Doctoribus in *distributivam* & *commutativam* vulgo dispesci, illamque pro objecto habere res, quæ sunt Republicæ, præmia videlicet & pœnas, hanc vero circa res privatorum dispensandas occupari, omnibus notum supponimus. Quocirca nostri nunc est officii inquirere, quatenus in utriusque hujus justitiæ administratione respectus personarum sit ex æquo vel admittendus, vel improbandus. Quum igitur respectus personarum appelletur, dum alter alteri ob qualitatem quandam personalem præfertur; in justitia autem commutativa non qualitas personæ, sed ejusdem jus vel in re vel ad rem in censum veniat; evidens est, in justitiæ jam commemoratæ dispensatione respectum personarum plerisque saltim in casibus non obtinere; experientia docente, in pactis ex. gr. ineundis ad qualitates contrahentium non attendi, sed potissimum expendi, an dando vel faciendo id, quod utrinque stipulatum fuit, sint habi-

B les

les. Dantur tamen casus, hac vice breviter nominandi, quibus respectus personarum in iustitia etiam commutativa censetur æquitati conveniens; vulgatissimus enim est canon: in dubio conditio possidentis est melior, seu beati possidentes. Similiter fors rei seu accusati est aliquantum melior, quam actoris, juxta canonem: actore non probante reus absolvitur. Imo gentium moratorum Legumlatores in legibus ferendis respectum habere solent tum ætatis, pupillis & minorennibus privilegia quædam concedentes, tum mulierum ob sexus sui infirmitatem, tum hominum miserabilium, in eas angustias deductorum, ut moralitatem actionum suarum expendere nequeant, nec non virorum de sua patria optime meritorum, salute publica respectum personarum necessario exigente.

## §. VI.

Facta in paragrapho antecedente respectus mulierum mentione, neminem nobis succensurum speramus, si de comparari duorum Heroum, cum propter res suas gestas, tum ob respectum feminis habitum, maxime celebratorum facto, nostram hac occasione indicemus sententiam. Loquimur **CYRUM**, **Monarchiæ Persicæ primum Statorem**, atque **SCI-**  
**PIONEM**

PIONEM Africanum, Hispaniæ Victorem, utrumque ut quoddam modestiæ prodigium, a Scriptoribus in simili casu propositum. Quum enim utrique, recenti victoria adhuc feroci, Princeps virgo, eximia formositate præcellens, in bello capta, adducebatur, pudicitiam captivæ suæ neuter sollicitavit, sed studiosè curavit, ut castitas ejus mediis in castris haberetur sanctissima. Quod ad facti hujus moralitatem attinet, rectè omnino se gesserunt hi Heroës, adfectibus forte exæstuantibus frena injicientes, singularem tamen vix merentur laudem, a malo abstinentes; quum satis scirent, quod si eam, qua in has, propter suam fortem calamitosas Principes gaudebant, cupiditatibus suis permisissent licentiam, priorum meritorum gloriam maculis infamiæ, nullo egregiorum factorum lixivio in posterum abluendæ, penitus obscurassent. Parva enim quum sit innocentia ad legem tantummodo probum esse; exiguam omnino is meretur distinctionem, qui a malefactis, quæ impune quidem in foro humano patrare posset, reluctantis tamen ratione & conscientia, nonnunquam abstinet. *Qu'un libertin sans esprit & sans honneur en pense différemment*, ita scribit Auctor quidam,



dam, à la bonne heure. Mais encore un coup, en doit-il beaucoup coûter à un honnête-homme de se posséder dans des circonstances, où il iroit de tout pour sa gloire à trop écouter son penchant? Qui sçait même si ces deux Conquérens furent tentés d'être moins généreux, qu'ils le furent? A quoi en est on réduit? De trouver du grand dans une action, qui n'a rien de plus beau en soi, que de garantir de l'infamie. Vid. librum qui inscribitur les Hommes Tom. II. p. m. 194.

